



UNIVERSITAS STUDIORUM VILNENSIS BATHOREANA
UNIVERSITATIBUS STUDIORUM
ACADEMIS ATHENAEIS GYMNASIIS

S. P. D.

¶ STEPHANUS BATHORY POLONIAE REX rerum civium et militarium peritissimus, omni liberali doctrina polissimus, anno MDLXXXIX bello immanni saeviente Studium Generale Vilnae condidit, quod placidae pacis monumentum perenne esset atque rudes incultasque gentes quae Orientis partes incolunt ad humanitatem informaret, litteris, disciplinis, artibus liberalibus institueret.

¶ Quam spem cogitationum et consiliorum regii conditoris Academia nostra numquam fefellerit.

¶ Universitas Vilnensis Bathoreana a Cracoviensi, Prahensi, Vindobonensi Academii ingentibus itineribus disiuncta, inter Pontum Euxinum Caspiumque mare, Album pelagus atque Siberiam nive perenni obrutam in media solitudine collocata et constituta, electis cooptatisque in magistrorum ordinem nostris viris praestantissimis, ut Skarga, Smiglecki, Lęczycki, Sarbiewski, Poczobut, Lelewel, Śniadecki par nobile fratum, aggregatis eruditis Britannis, Gallis, Italis, Germanis, ut Bosgrave, Gilibert, Sartoris, Cappelli, Forster, Groddeck, Frank, cultum atque humanitatem agrestibus regionibus trans Dunam et Borysthenem intulit, easdem doctrina et eruditione conlustravit, adolescentes nostros atque exteros disciplinis eruditivit, artibus liberalibus ornavit, ad virtutem adrexit docu-
itque alta cupere, alta sperare atque viros ingenii magnis excellentes Adamum Mickiewicz et Iulium Slowacki poetas illos et vates, I.I. Kraszewski celeberimum scriptorem tulit.

¶ Universitas nostra hostilim manu anno MDCCXXXII deleta atque interempta, Polonia restituta, anno MCMXIX a Josepho Piłsudski instaurata abhinc annos decem in opimo solo doctrinas disciplinasque atque artes liberales iuvenili animi ardore serit atque colit.

¶ Itaque LXX lustris exactis inclutorum decessorum nostrorum et eruditii temporis acti hoc anno a.d. VI Idus Octobres sollemni celebratione memoriam repetere constituimus.

¶ Cum omnium terrarum homines litterati conlegae sint et quasi amici, de sollemitate nostra Vos, Viri clarissimi atque doctissimi, certiores facimus. Valete.

Nostra Senatusque voluntate et iudicio
dedimus a.d. VIII Kalendas Iulias MCMXXIX.

L. Falmonius

Rector

